



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio XVII. De Conscientiâ dubiâ circa Sacramentum Baptismi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

## SECTIO XVII.

## De Conscientiâ dubiâ circa Sacramentum Baptismi.

**D**IFFICULTAS I. Utrum, & quando in dubio Baptismi possit, & debeat Baptismus iterari? Suppono primò ex materia de Baptismo ut certum de fide, hoc Sacramentum non esse de se iterabile, ut constat ex Symbolo Nicæno: *Credo unum Baptisma.* ex Concil. Cathagin. 1. can. 1. ex Concil. Viennens. in *Clement. unic. de summ. Trinit.* ex Concil. Florent. in decreto Eugenii, & Trid. sess. 7. can. 9. de *Sacram. & can. 11. de Baptismo*, & ex illo ad Ephes. 4. 5. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.*

Suppono secundo, gravissimum sacrilegium committi ab eo, qui sciens, & prudens absolute rebaptizat hominem, quem constat semel valide baptizatum esse. Nec multò leviùs peccare, qui cum etiam, de quo nullum est morale dubium, quin verè baptizatus sit, denuò rebaptizat etiam sub conditione. Ita *Sor. in 4. dist. 6. q. unica, art. 9. P. Soar. d. 31. de Baptismo, sect. 6. P. Vasq. d. 146. num. 30. P. Tanner. tomo 4. d. 4. q. 2. dub. 4. n. 109. & alii.*

Suppono tertio tam sic rebaptizantibus, quam rebaptizatis graves decerni pœnas in utroque jure; nam in Jure civili imponitur pœna capitis, ut constat ex *l. 1. & 2. C. Ne sacrum Baptisma iteretur*: licet hæc pœna jam non sit ulu recepta. In Jure autem Canonico, statuitur, ut rebaptizantes deponantur, & ii, qui in Baptismo confenserint, perpetuam agant pœnitentiam, & à communione fidelium segregentur: Excommunicationis autem pœnâ non ligantur, qui sic rebaptizant, neque aliâ pœnâ, aut censurâ Ecclesiasticâ, nisi solâ irregularitate, quam & rebaptizans, & rebaptizatus incurrit ipso facto, nisi per vim aut metum id faciant, dummodò non habeant intentionem conficiendi, & suscipiendi verè Baptismum. Ita *P. Soar. & P. Tanner. & alii plures*; idque ex cap. *Non licet, cap. Rebaptizare, cap. Qui bis ignoranter, dist. 4. cap. Qui in qualibet, l. q. 7. & cap. Afros, dist. 98.*

Suppono quarto cum hac Baptismi unitate non repugnare illius repetitionem sub conditione, stante dubio an fuerit verè collatus; siquidem ex cap. *Solemnitatis, l. dist. 1. de Consecr. & cap. Veniens, de Presbyter. non baptizat*. ibi: *Non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum.* Debet tamen dubium rationale esse, id est, rationi consonum, & homine cordato dignum; alioqui illicite Baptismum repeteres, etiam sub conditione, utpote qui materiam, & formam illius dubiam, & incertam proferres nullâ existente necessitate. Ita *P. Soar. d. 22. sect. 2. P. Agid. quest. 66. art. 9. dub. 1. num. 91. P. Vasq. d. 146. cap. 4. num. 20. P. Valent. P. Pal. tomo 4. tr. 19. d. unica, punct. 13. n. 3.*

Suppono quinto, hoc dubium rationale posse duplex esse: Primum juris, secundum facti: dubium juris est, quando constat Baptismum tibi fuisse collatum, sed sub dubia forma, aut materia, ut si tibi fuit collatus sub nomine Genitoris, Geniti, & Spiritati; aut minimâ tantum parte abluta, nempe pede, digito, aut brachio ex utero matris extracto, aut pelle secundinâ involuto; aquâ ex sale, nive, glacie, & gelu resolutâ, distillatâ ex vitæ, aut arboribus, & similibus, de quibus sub opinione est, an sint vera Baptismata. Dubium facti est, quando nescitur, an Baptismus in re collatus sit, ut si infans sit expositus: si natus inter infideles à parentibus

Catholicis: si baptizatus domi ab obstetrice ob necessitatem, quæ tamen sit suspecta de veneficiis: Si baptizatus ab hæreticis, Sarracenis, & Hæbreis, & similibus, de quibus omnibus per sequentes conclusiones. His suppositis.

Dico 1. Quodcumque ex his dubiis intercedat (esto sub conditione) Baptismus repetendus est. Ita *D. Thom. 3. part. quest. 66. art. 9. P. Vasq. ibid. d. 146. cap. 4. n. 9. P. Soar. 6. 22. sect. 2. ad finem. P. Agid. dub. unico. num. 91. P. Pal. tract. 19. d. unica punct. 13. num. 4. P. Laym. lib. 5. tract. cap. 5. P. Præposit. in 3. quest. 66. art. 9. dub. 2. num. 99. & alii.* Probatur primò ex cap. *Veniens. de Presbyter. non baptizat. cap. solemnitatis, l. dist. 1. de Consecrat. & cap. Si nulla, dist. 4. de Consecrat.* aliisque textibus apud Doctores cit. ubi deciditur, quotiescumque post diligentem inquisitionem probabile, seu rationale dubium manet, utrum Baptismus verè homini collatus sit, posse iteratò sub conditione conferri; ergo &c. Secundò, quia sic & proximo subvenitur in re maximè necessaria, & Sacramenti reverentia non læditur; ergo &c.

Dico 2. Infans expositus, si reperitur absque testimonio Baptismi, baptizandus est sub conditione. Ita *Sor. in 4. q. 3. dist. unica, a. 9. §. Si præterea, P. Vasq. d. 146. cap. 4. num. 26. P. Laym. P. Pal. P. Præposit. cit. P. Tanner. tomo 4. d. 4. q. 2. dub. 4. n. 113. & alii.* Probatur, quia satis prudenter præsumitur baptizatum non esse; siquidem communiter hujusmodi infantes cum tali testimonio exponuntur; ergo &c. Addunt tamen *Sor. P. Vasq. P. Pal. P. Henricq. lib. 2. cap. 31. num. 1. P. Tolet. lib. 2. cap. 21. n. 3. P. Filliu. tract. 2. n. 149.* nisi expositus sit inter Catholicos, & eam ætatem repræsentet, ut videatur mensum implere; siquidem rationabiliter non præsumitur à tanto beneficio reliquis omnibus concessio exclusus.

Adhuc tamen in hoc casu baptizandum esse sub conditione affirmant *Palud. in 4. dist. 6. quest. 4. P. Laym. P. Præposit. cit. P. Tanner. cit. Averſa 3. p. q. 66. sect. 6.* quos citat, & sequitur *P. Escob. tomo 2. lib. 11. sect. 2. problem. 124.* Siquidem prudenter dubitari potest, an sit baptizatus; sæpè enim mulieres, cum ad scelus tegendum, partum occultè effundunt, parùm sunt sollicitæ de spiritali infantis salute, sed hoc potiùs curant, ut partum à se quàm fieri potest occultissimè amoliantur; sicque in hujusmodi dubiis semper est magis inclinandum in favorem baptizandi; præsertim cum nulla fiat injuria Sacramento sub conditione applicato. Unde idem videtur dicendum de tali puero, etiam si invenitur expositus ad januam alicujus Ecclesiæ, aut alterius hominis Christiani, licet oppositum dicat *P. Henricq. cit.*

Imò addo, infantem etiam inter Catholicos expositum, & testimonium sui Baptismi habentem, baptizandum esse sub conditione. Ita *Torrebl. lib. 2. practicar. cap. 4. Marchant in Cand. Sacrament. tr. de Baptismo, cap. 4. quest. 4. P. Quintanad. tract. 5. singular. 9. Bartol. in l. 2. C. Ne Sacrament. Baptis. reiter. Gabr. dist. 4. quest. 2. dub. 4. P. Escob. tom. 2. lib. 11. sect. 2. problem. 63. Leand. tomo 1. tract. 2. d. 3. quest. 44. & apud illum 6. Synod. can. 84. Concil. Carthag. 5. cap. 6. Concil. African. can. 39. & Vormaciens. can. 70. Joan. Henricq. sect. 19. q. 40.* Siquidem prudentes conjecturæ reddunt incertum hujusmodi Baptismum, quatenus hos pueros nò obstetrices, quæ magis instructæ sunt, baptizarunt, sed aliæ feminae, aut ignaræ conferendi Baptismum, aut de quarum peritiâ prudenter dubitari potest; imò frèquenter sunt villissimæ conditionis feminae; sicque

ſchedula

schedula vilium feminarum auctoritatem habet, quæ quidem sufficiens non est ad rem tantimomenti comprobendam.

399. Dices cum *Palud. in 4. dist. 6. q. 4. Sor. dist. 3. q. 1. art. 9. Aversa 3. p. q. 66. art. 9. sect. 6. P. Vasq. 3. p. d. 146. cap. 4. Dian. in addit. ad 3. p. Resol. 6. P. Hurt. d. 1. diff. 12. P. Escob. tom. 2. lib. 11. sect. 2. problem. 125. P. Pal. tr. 19. d. unica, punct. 13. n. 6. P. Tanner. tom. 4. d. 4. q. 2. dub. 4. n. 113. P. Laym. lib. 5. tr. 2. cap. 5. P. Preposit. 3. p. q. 66. dub. 2. art. 9. & aliis communiter asserentibus in prædicto eventu non esse infantem, neque sub conditione baptizandum; Schedula est sufficiens testimonium ad reddendum hujusmodi Baptismum moraliter certum; neque enim verisimile fit, aliquem Catholicum in re tam gravi fallere voluisse: cum infans, ut supponimus, fuerit expositus inter Catholicos, qui Baptismum venerantur, ejusq; necessitatem firmiter credunt; ergo &c. Respondeo, licet hoc sit factis ad amplectendam hanc opinionem, ex conjecturis tamen supra adductis oriri posse dubium rationabiliter prudens ad rebaptizandum infantem sub conditione. Et hoc idem à fortiori dicendum si cum tali schedula inveniatur inter, vel ab infidelibus, aut hæreticis expositus.*

400. Inhabis: Unius testis fide digni testimonium, aut etiam scriptum in libro Baptismi sufficit ad morale illius certitudinem, ut docent Doctores proximè citati; sed prædicta schedula æquivaleret uni testi fide digno, aut etiam scripto per Sacristam in libro; ergo &c. Respondeo negando minorem; diversa ratio est, quia testis, & scriptura in libro cognoscuntur, & examinari possunt: non ita verò illa schedula, quæ cum nullius nomine, aut sigillo sit signata, nullam meretur fidem ex cap. 1. & 2. de Fide instrument.

401. Difficultas 2. Utrum in his, & similibus eventibus (de quibus infra,) non solum possit, sed etiam debeat Baptismus repeti sub conditione? Affirmativè. Ita *P. Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 5. n. 3. P. Vasq. 3. p. d. 146. cap. 4. n. 28. P. Egid. q. 66. art. 9. dub. unico, n. 101. P. Pal. tr. 19. d. unica, punct. 13. n. 10. P. Preposit. 3. p. q. 66. art. 9. dub. 2. n. 100. & alii. Probatur, quia ex tali repetitione nulla fit injuria Sacramento, & homo (si fortè Baptismus non fuit validus) maximum patitur detrimentum; tum quia est de necessitate salutis; tum quia ei alia Sacramenta prodesse non possunt; ergo quoties de Baptismo graves Doctores dissentiunt, Baptismus est necessariò sub conditione repetendus, ne homo tanto periculo exponatur, cum Baptismi valor non pendeat ab opinione, sed requirit materiam, & formam, quales Christus Dominus instituit, alioqui validus non erit.*

402. Hinc sequitur, teneri parentes infantis, de cujus Baptismo prout dubitatur, procurare illius repetitionem sub conditione: idemque dicendum de illius tutore, aut curatore, & de Parocho ad id requisito, eoque deficiente, de quolibet alio Sacerdote; siquidem omnes tenentur ex charitate infanti sic dubitanter baptizato, ejusque salutem succurrere. Ita *P. Pal. P. Preposit. cit.*

403. Dubium hic est: Utrum adultus de suo Baptismo probabiliter dubius, teneatur hujusmodi repetitionem Baptismi sub conditione, quoad fieri possit, procurare? Affirmativè. Ita *P. Egid. cit. n. 104. P. Pal. cit. n. 11. P. Preposit. cit. & alii. Probatur, nam qui recipit dubium Sacramentum, cum teneatur verum, & certum suscipere, videtur graviter peccare; ergo etiam sic peccat, qui in eo Sacramento dubio permanet; ergo, ut certum recipiat, tene-*

tur illud sub conditione repetere. Confirmatur, quia nisi moraliter constet de valore Baptismi, alia Sacramenta sacrilegè recipiuntur, eorumque fructus impediuntur; ergo ad hunc suscipiendum, & illa impedienda, tenetur homo Baptismum sub conditione recipere.

Dices cum *Scot. Tartaret. Angl. Rodrig. & P. Tanner. tom. 4. d. 4. q. 2. dub. 4. n. 114.* Quilibet in sua operatione potest sequi opinionem probabilem; ergo &c. Respondeo negando consequentiam, & ejus assumptum, neque enim in præsentia solidè applicatur; siquidem quando Doctores asserunt, posse aliquem, relicta opinione probabili, adherere oppositæ etiam probabili, non volunt, id esse verum, quando probabilitas versatur circa rei naturam, aut conditionem, sed quando sententiæ sunt inter se contrariæ in ordine ad proximum, quarum una asserit aliquid sine peccato fieri posse; alia verò negat: at verò in nostro casu Doctores non censent aliquem (saltem extra casum necessitatis,) posse absque peccato conferre, aut recipere Baptismum in materia dubia, id est, in solo digito, sed solum asserunt esse probabile, talem Baptismum esse validum, quo non obstante, potest homo obligari ad illum suscipiendum iteratò, saltem sub conditione ob rationes adductas.

Hinc sequitur primò, prædictam doctrinam non tantum habere locum in pueris, de quorum Baptismo prudenter dubitatur, sed etiam in adultis; siquidem de utrisque eadem est ratio. Secundò, in prædicto Baptismo iterando procedendum esse juxta formam præscriptam in cap. De quibus 2. de Baptismo: ibi: *Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo.* Nullum tamen erit peccatum, si solum ultimam partem proferas; siquidem per illam factis declaras, te nolle Baptismum conferre, si jam fuit collatus. Imò si secretò Baptismus administraretur, factis erit conditionem mente concipere, licet maximè expedit verbis illam proferre. Ita *P. Soar. d. 22. sect. 2. P. Vasq. d. 146. cap. 4. P. Egid. q. 66. art. 9. dub. unico, n. 98. P. Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 5. num. 3. & P. Pal. tr. 19. d. unica, punct. 13. n. 12.*

Addunt tamen in hac conditionata Sacramenti repetitione semper scandalum esse vitandum, quoad fieri possit, ita ut si occasio repetendi Baptismum non sit publica, sed secreta, Baptismus in Ecclesia repetendus sit, præsentibus tantum patris, parentibus, aut tutoribus baptizati, quibus declaranda erit occasio repetendi illum, & sub pressâ conditione administrabitur. Ita *P. Pal. P. Laym. cit. cum aliis.*

## SECTIO XVIII.

*Aliqua deducuntur, & resolvuntur ex præcedenti doctrinâ.*

**D**EDUCITUR primò, quoties constat de defectu legitimæ materiæ, formæ, aut intentionis, cum hæc ad valorem Baptismi requirantur, Sacramentum posse, imò debere absolutè repeti; siquidem tunc non tam repetitur, quam primò confertur; nam ex cap. Solemnitatis 1. dist. 1. de consecrat. & cap. Peniens de Prasbyt. non baptizato: ibi: *Non intelligitur esse iteratum, quod ambiguitur esse factum;* ergo à fortiori quando constat non esse factum. Similiter dicendum de Baptismo collato in vino, lacte, cervisia, & similibus liquoribus, quos constat, non esse